

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Sortilegivm.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

plicare vosque decente & recta via deducere in
termittam. Tantum Jovām metuite, eumque
vere & tota mente colite, videtis enim quantum
rem apud vos fecerit. Quod si peccatis indul-
gebitis, & vos & Rex vester peribitis.

SENTENTIA.

*Justi homines (qualis fuit Samuel) nemini fa-
ciunt injuriam. Magna est hominum erga Deum
ingratitudo, qui toties, tam fideliter a Deo defensi-
tot beneficiis cumulati, tamen hominem Regem sibi
depositum: digni sane, qui inclementi Regi serviant
quando clementem repudiant. Immensa est Deum
clementia, qui sic ingratos tamen non deserit. Mu-
lta valent apud Deum preces justorum, qui etiam
alieno tempore vel pluviam possint impetrare.*

SORTILEGIVM. I Reg. 14.

ARGUMENTVM.

Saulus Jonathanem filium suum vult occidi, propter gustatum mel contra votum populi. Sed populus eum prohibet occidi.

Saulus, Populus, Jonathan.

Huc adeste omnes populi primates, despicite & conquirite, ^{a)} cuius hodie culpa fiat, ut Deus roganti mihi oraculum non reddat. Nam Jovām ego optimum maximum Israelitarum conservatorem juro, si etiam Jonathan filius meus insuerit, eum esse capite poenas daturum. Vos to-

a) Deus iratus hominum peccatis, eis interdum responsa denegat; hodie per suos etiam Ministros.



tus populus consistite istinc, ego & Jonathan con-
sistemus altrinsecus. *P.* Ut libet, facito. *J.* Iova
Deus Israelitarum age severe. Ducantur sortes.
At at, nos petit fors: alter nostrum sit oportet.
Sortiamur. *S.* O ho Jonathan fors indicat te.
Indica mihi quidnam feceris. *J.* Gustavi pau-
lulum mellis de capite hujus baculi, quem in-
manu habebam: quod tu, insciente me fieri ve-
tueras. Hoccine mihi capitale esse æquum est?
S. Deum ego juro, te moritum, Jonathan. *P.*
Ergo morietur Jonathan: qui tam præclaram vi-
ctoriam pepererit Israelitis? Nequaquam, per
Jovam immortalem: ne pilum quidem amittet,
qui hodie Deum sui facti adjutorem habuerit.

SENTENTIA.

*In hac vita unius peccatum luunt interdum mul-
ti: quia sunt unum corpus quasi, cuius membro-
rum omnium est tanta conjunctio atque cognatio,
ut sit eorum consensus, tum dolorum, tum volupta-
tum: præsertim, cum omnes sint peccatores. Sed
in altera vita, in qua punientur animæ, sui quis-
que, non alieni, peccati pœnas dabit.*

OBEDIENTIA. 1 Reg. 15.

ARGUMENTVM.

Samuel Saulum reprehendit, qui Ama-
lechitas clementius, quam Jova præceperat,
ultus fuerit.

F

Saulus,